

**De puella monstrosa, Lipsiae d. xxi Maj. anno MDCCXII nata ... / [Leonhard Heinrich Mylius].**

### **Contributors**

Mylius, Leonhard Heinrich, 1696-1721.  
Rivinus, Augustus Quirinus, 1652-1723.  
Universität Leipzig (1409-1953)

### **Publication/Creation**

Lipsiae : Litteris Immanuelis Titii, [1717]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/nkqr4c6f>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



C.E. RAPPAPORT  
LIBRAIRIE ANCIENNE  
ROME

E. IV.

18/m

38193/B

2/006.

11/11



1907  
10/10/10  
IN NOMINE JESU!

DE

P U E L L A  
MONSTROSA,

LIPSIÆ D. XXI. MAJ. ANNO MDCCXII.

NATA,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO  
D. AUGUSTO QUIRINO RIVINO, P.P.O.  
GRATIOSISSIMI ORDINIS MEDICI SENIORE,

ACADEMIÆ DECEMVIRO, COLLEGII MAJORIS PRINCI-  
PUM COLLEGIATO, NEC NON SOCIETATIS  
REGIÆ LONDINENSIS SOCIO,

PRO LICENTIA

DISPUTABIT

M. LEONHARDUS HENR. MYLIUS,  
LIPSIENSIS,

D. XXII. OCTOBRIS A. MDCCXVII.

---

LIPSIÆ,

LITTERIS IMMANUELIS TITII.

27066



DE  
P U E L L A  
M O N S T R O S A

DISSERTATIO INAUGURALIS.

I.



Ulla gens, testimonio CICERO-  
NIS (a), Philosophi & vita cla-  
ri, & ingenio maximi, in homi-  
nibus est neque tam barbara,  
neque tam immansueta, neque  
tam fera, quæ non, etiamsi igno-  
ret, qualem habere Deum dece-  
at, tamen habendum, i.e. cultu excipiendum, sciat. Et  
omnes, qui vere sapiunt, hoc vel sua sponte agnoscen-

*Natura liberis  
dictitat cul-  
tum erga Pa-  
rentes post De-  
um maxi-  
mum:*

---

(a) Libro II. de Legibus Cap. III.



dum esse, ore uno palam profitentur, maximum post Creatorem adorandum, qui

*Semper adest, semperque fuit, semperque manebit,*

*Quique movet nostros per tot miracula sensus,*

*Tempora sideribus, qui dat sua semina terris,*  
cultum ac reverentiam omnem ex naturæ dictamine deberi Parentibus. Nec ipsorum ethnicorum, ex quibus omnibus unum PLUTARCHUM (b) nominare licebit, eloquio, terrarum cœlique fatore quicquam gratius homines faciunt, quam si Parentibus alumnisque suis gratias benigne & alacriter persolvant, unde EURIPIDES (c) non absque causa ait:

*Quisquis in vita sua Parentes colit,*

*Hic & vivus & defunctus Diis charus est;*

neque contra majus est argumentum impietatis, quam Parentum despiciatus & in eos injuriæ. Matri ac Patri non ita se dare, ut semper ea dicamus atque agamus, quibus lætentur, etiam si molestiam præterea afferamus nullam, impium injustumque credidere. Eximie eximius ille Peripateticorum Rex ARISTOTELIS (d) loquitur: qui dubitat, utrum oporteat Deum venerari aut Parentes honorare, non indiget ratione, sed pœna. Ast quid testimoniis, quid exemplis pluribus rem sua ipsius luce claram illustratum eo?

Non-

(b) de fraterno Amore.

(c) ap. Stob. f. 77.

(d) Lib. VIII. Topic.

Nonne vitam, si a Deo summo rerum omnium opifice discedamus, Parentibus unice nos debere ultro fateri tenemur, quum nemo sit, qui rem nesciat notissimam?

## II.

Tantum autem abest, ut utrumque Parentum pari cultu & amore prosequendum credam a liberis, ut potius majorem cultum Matri destinasse naturæ legem, eloqui non erubescam, id quod nemini mirum videri posse arbitror; non enim & Pater & Mater paria ad liberorum conferunt procreationem atque educationem, sed hæc sola per novem a conceptione menses gerit uterum, cui erga stulo quamdiu inhæremus, tamdiu ipsius Matris sanguine nutrimur, augemur continuo, quotidie quasi de novo vivere incipimus, & Matri, non vero Patri, consueta naturæ lege turbas & molestias vix enumerabiles, atque non raro cum suæ ipsius vitæ periculo conjunctas commovemus; in lucem præterea edit liberos ex voluntate Sanctissimi Numinis cum doloribus gravissimis centumque incommodis aliis, quæ singula enumerare prohibet instituti ratio & chartarum angustia. Insuper infanti potanda ubera non sine molestia fert, & infinitos alios jam non commemorandos exhaurit labores.

*Major tamen in honore liberorum erga Parentes Matris habenda est ratio.*

## III.

Quemadmodum autem in honore liberorum erga Parentes Matris major habenda est ratio: ita liberis majorem & maximam a Matre deberi curam judico.

*Sicut major cura educandi liberos incumbit Matri.*

Culpa Genitricis in materno ergastulo variis modis afficitur perpetiturque malum foetus, quod sæpe etiamnum exclusus per totum vitæ cursum persentiscit. Graviter, me iudice, peccant gravidaë, & curam ipsis a natura impositam cito nimis spernunt, quæ ex turpi quodam & inhonesto libidinis affectu superiora corporis aëri frigidiori, cui ferendo impares subinde sunt, libere exponunt, sibi que hoc modo feri stagnationem, aliaque plura contrahunt, magis tamen foetui damnum inferentia, utpote qui ob teneritudinem membrorum multo existit sensibilior. Gravius adhuc peccare videntur, quæ proli salutem haud animadvertentes, curam, qua ad naturæ convenienter vivendum, ut loquitur CICERO (e), obligantur, prorsus negligunt, mire ad quæcunque inordinato appetitu rapiuntur, se ingurgitant, vehementer saltando aliasque validas corporis motiones exercendo idem suum corpus concutiunt, & nimis vigiliis quacunque demum e causa ortis, quæ sunt nonnisi continuæ mutuæque mentis & corporis actiones, tandem proprium animæ habitaculum invalidum reddunt, insimul vero etiam foetum ipsum non parum enervant, & ad varios morbos ita disponunt, ut difficile sit, quos semel contraxerit, eos radicitus extirpare.

## IV.

*Maxima prægnantium Cura in præca-*

Et quid tandem dicam de animi commotionibus? Certe hæc si in hac rerum universitate excitare possunt

(e) *Lib. III. de Fin. B. & M.*

possunt mala ingentia, erunt imprimis in prægnantibus. *venda perversa quaedam imaginatione posita est.*  
 Quantas enim harum phantasia in peregrinis foetui imprimendis formis obtineat vires, notum atque perceptum est omnibus. Hæ igitur recte Philosophantium iudicio omnium gravissime peccabunt, & honorem liberorum erga semetipsas multum omnino imminuent, quæ, in quantum possunt, non præcavent, ne graviore animi pathemate i. e. imaginatione aut quocunque titulo condecorare idem libuerit, corripiantur, neque contemplationi ejusdem justo diuturniori inhæreant.

## V.

In quodvis enim corpus animale vim dira & atrociam mala excitandi vehemens habet animi commotio, *Hæc enim maximam in foetuum corpora obtinet potentiam.*  
 ast in nullum obtinet potentio-rem, quam in tenellorum corpora, id quod naturæ scrutatorum (f) observationes uberrime testantur. Quæ quum ita sese habeant, quid, quæso, mirum, si hujuscemodi liberi varie atque diverse culpa Matris signati & aspectu horridi facti ipsius honori ac cultui aliquid detrahant? non enim meretur illum, quum antea debitam curam ipsa genitrix soboli non præstiterit, loquor autem de iis solum foeminis, quæ ipsæ nullam embryonis rationem habentes existunt causa foetus sui malæ conformationis vel etiam monstrositatis. Et harum ordini jure ac merito

B

rito

---

(f) Ex his albo notari lapillo merentur MARTINUS SCHOOCKIUS de signaturis foetuum. MARTINUS WEINRICHIUS de ortu Monstrorum. MARCUS MARCI A GROENLAND de Ideis Operatricibus. THOMAS FIENUS de viribus imaginationis.

rito adjungo matrem puellæ monstrosæ, cujus effigiem opera artificis delineari curavi, quemadmodum ex historia plenius constabit, quam ita accipe:

## VI.

*Quod illustratur  
zur Historia  
puellæ monstrosæ.*

Die Mensis Maji vigesimo primo anni superioris millesimi septingentesimi duodecimi nascitur hic Lipsiæ in suburbio Patre Daniele Kautsch, operas mercenarias præstante, triginta circiter annorum, & uxore ejusdem ferme ætatis nono gestationis mense infans, ob matris terrorem vehementem & inopinatum capite monstruoso, aliud præterea nihil, in quo natura a scopo multum aberrasset, ostendens. Caput nimirum ex vertice prodeuntem saccum carnosum - membranaceum atris pilis hirsutum exterius, interius vero manifesta donatum cavitate, latitudinem quatuor, longitudinem septem digitorum transversorum æquantem visui sistit. Facies anterior glabra quoad suas partes satis concinna, nisi quod nasus præter consuetam naturæ legem sursum esset nonnihil elevatus, & per frontis medium quo-

quodammodo continuatus: in calva jam indigitatus saccus est pendulus, cujus extremitas foramen exhibet, quod, quamdiu viveret foetus, cursu pene haud interrupto merum stillabat sanguinem. Adornata post immortalis spiritus exhalationem (trium autem dierum decursu vitam cum sanguine effundebat) artificiosa corporis relictæ sectione plura notatu digna conspiciebantur, infra §. XII. recensenda. Illud, ne quid omittam, in eo memorabile monendum, brachia pilis solito majoribus fuisse vestita, qui tamen icone haut, ut optaveram, repræsentati conspiciuntur. vbi Causa tam monstrosæ partus exclusi configurationis hæc a matre allegatur: Refert nempe illa se famosi illius circumforanei, qui tempore nundinarum per multos jam annos frequentissime in foro Lipsiensium mercatorio ad hunc usque diem publico se sistit conspectui, nundinis Festo Paschatos proximis præterlapsi anni MDCCXII. fuisse spectatricem, quo tempore contigisse testatur,

ut, quum ejus auscultaret sermonem, calithrix, quam equo insidens ad allicendam turbam secum ducit semper, præter omnem spem & expectationem alius, quæ adstabat, mulieris humeros infilierit. Mater exclusi monstri proxima tunc huic foeminæ in eam delapsa imaginationem, ac si proprio capiti & nuchæ insideat animal, animo illud abigendi, utramque manum non sine horrore maximo admovet parti capitis capillatæ, ibi ubi nihil animadvertit, contrectasse refert brachia. Postea, quum ipsa simiam alibi collocatam vidit, rubore, dum se erroris puduit, suffusam faciem manibus velavit, & domum suam rediit, quorsum delata maximos imiventris cruciatus & præcordiorum anxietates non nisi per tres dies durantes sentit; nec aperit factum marito ad exclusionis usque tempus, quæ non ita multo post secuta est, mensis nempe unius decursu, quo lucem aspiciebat, quam figura exhibet, infans puella, in sacro Baptismatis fonte Johannæ nomen nacta.

## VII.

Monstrorum catalogo an puella, cujus historiam prolixè jam tradidi, fit inferenda? ut multis h. l. disquiram, ne id, honoratissime lector, a me expectes, rogo. Quamcunque enim etymologicam Monstri significationem amplexeris, age scias, hanc puellam & futurum malum domesticum satis grave Parentibus suis (g) monstrasse, & tanquam rarum & curiosum deformitatis exemplar multiplici vice aliis fuisse monstratum, (h) quam ob causam inditum liquori balsamico deformem foetum, adhuc dum ego asservo, cujuslibet curiosi conspectui exhibendum. Neque cum titulo nostratibus familiari adeo pugnare videtur, qui Monstrum eine Mißgeburth nuncupare consueverunt.

*Monstrum esse  
probat mon-  
stri etymolo-  
logia,*

*Synonymia,*

## VIII.

Dubito tamen non absque causa, an, qui tam latum & ambiguum huic voci assignant sensum, ut nunc gigantes & Pygmæos (i), nunc gibbosos, jam

*Homonymia,*

B 3

clau-

(g) ita existimat M. TULLIUS de Div. Lib. I. G. BALDUNUS Cas. Consc. Lib. VI. Cas. VIII.

(h) ut melius sentit FORT. LICETUS de Monstris Lib. I. Cap. II.

(i) Jam non dicam, plurima, quæ de gigantibus & Pygmeis narrantur, fabulosa autorum esse commenta. vid. CASP. SCHOTTI Phys. Curios. Lib. III. Cap. VII. JOH. CASSANIO de Gigantibus. WEINRICHIUS de Monstris Cap. XXI. LICETUS de Monstr. Lib. II. Cap. XXIII. JOH. EUSEB.



claudos, jam levi quadam macula signatos homines dicant monstra, & monstrorum familiam ad vegetabilia non minus, quam mineralia se extendere asserere audeant, merito jure id faciant. Regula quippe & mensura, secundum quam ad debitam & proportionatam magnitudinem disponatur corpus nostrum, nos omnino latet, sine cujus tamen exacta cognitione hominis statura certo determinari nequit. Vastæ enim & mirandæ molis sint gigantes, justam corporis ejusque partium si habeant configurationem & symmetriam, monstrorum classe haut immerito eximuntur, quale judicium quoque de Pygmæis esto. Gibbosos similesve vitiosos rarius nasci, ut plurimum abominanda obstetricum, nutricum, gerariarum & aliarum, quæ infantum curæ præficiuntur, incuria demum fieri, dogma multorum est, observatione proh dolor! tam frequenti suffultum, ut vix elabatur dies, quin hujus rei veritas confirmetur (k); idem judicium de reliquis ferendum videbit, quicumque rem diligenter expendet, cum nemine tamen de his valde contenderim (l). nihil-

EUSEB. NIRENBERGII *Histor. Natur. L.V.C. XVI. XVII. & XIX. rationibus non contemnendis eorum existentia impugnatur ACT. ERUD. LIPS. Ann. 1684. p. 489. it. à GEORGIO BECANO in Gigantomachia.*

(k) ROSINUS LENTILIUS *Miscell. Med. Pract. Part. I. p. 19. si quis interroget, cur & olim, & etiamnum infantes sæpe gibbosi evadant? ego causam in solas nutrices conferre, nullus dubitem.*

(l) *Conf. FORTUNIVS LICETUS de Monstris Lib. I. Cap. I.*

nihilominus facile evitabit disceptationem, qui quoad posterius distinctionem inter Monstrum late & stricte sumtum, quoad prius vero inter acceptationem monstri propriam & impropriam admittit.

## IX.

Monstrum stricte sumtum solum ad Regnum animale, vegetabilibus & mineralibus, quæ etiam monstrifera evadere abs haud paucis dicuntur, cum F. LICETO (m), C. SCHOTTO (n), & aliis quam plurimis relictis, restringi volo, quod utut a variis varie describatur, quilibetque genio suo hoc in passu indulgeat, mihi que animus haud sit, quasvis descriptiones scrupulosiori examini subicere, a veritatis tramite tamen me non adeo aberraturum esse spero, si monstrum humanum concise definiam, quod sit foetus in utero materno nunc inusitata & insolenti totius corporis, nunc partis saltem cujusdam deformitate contra naturam deturpatus.

*Definitio realis.*

## X.

Interdum enim totum pene corpus monstrifera comparet, ut in bicorporeis imprimis monstris animadvertere est, alio vero tempore id vitii tantum in parte una alterave observatur, reliquis a naturæ ordine

*Quot modis variet capitis in humano genere monstrifera monstratur.*

§ XII. it. lib. II. Cap. XI. SPERLING. Lib. I. Inst. Phys.

P. I. pag. 237.

(m) Lib. I. Cap. I. p. 5.

(n) Mirab. Nat. § Artis Lib. V. Proëm.

nullatenus deflectentibus. Speciatim de monstro, capitis culpa quod formatur, impræsentiarum paucula facere verba decrevi. Recte acephalos monstrorum classi annumerari, quilibet mecum facile fatebitur, qui collum suo, quo alias ornatur, capite orbatum non sine animi motione adspiciet; confirmantibus id præterea FONTANO, Agenensi Medico, DAVID SPILENBERGERO (o), JOH. SCHENCKIO (p), ALDROVANDO (q), & aliis. Neque minus prodigiosum est, dum collum plus uno capite luxuriat. Sic puellam omnium reliquorum membrorum venustate conspicuam observavit CONRADUS LYCOSTHENES (r), refertque capita idem bibendi, edendi, dormiendi, & loquendi desiderium habuisse. Foetum capite geminum ad perfectam viri staturam excretum testatur JACOBUS RUFUS (s); & de bicipitibus pluribus aliis narrant CASP. SCHOTTUS (t), THEOPHILUS BONETUS, copia lectionis inexhausta, judicii gravitate summa, & ingenii præstantia incomparabili Medicus excellentissimus (u), & alii. Tricipitem nec non septem capitibus hominem a PHILOSTRATO & ALDROVANDO visum delineavit C. SCHOTTUS

(o) EPHEM. NAT. CURIOS. Dec. I. Ann. III. observ. CIX.

(p) Observat. Med. rarior. Lib. I. p. 8.

(q) Monstr. Histor. Cap. III.

(r) evolv. AMBROS. PARÆI oper. Chirurg. Lib. XXIV. Cap. II.

(s) Lib. III. de concept. hum. Cap. III.

(t) Phys. Curios. Lib. V. Cap. II. §. 1.

(u) Medicin. Septentrional. Lib. I. Sect. II. Cap. II.

TUS (v) & TH. BARTHOLINUS (w). Aspectu pariter horrenda sunt capita, quæ ne quidem humani, sed bruti cujusdam effigiem referunt. VINCEN- TIO (x), hominem canino, POLIDORO VER- GILIO (y), alium elephanti capite videre, contigit. Romæ in amne Tyberino Monstrum An. MCDXCVI corpore humano, capite asinino, & alibi anserina, quo- ad caput, forma, LICETI (z) relatu inventum est. Exempla hominis cum capite piscis carpionis; alterius cum capite equino proponit THOMAS BARTHOLI- NUS (aa). Anno MDCLXIV in vico quodam prope Noribergam infantem natum fuisse cum capite galli in- dici, scribit THEOPH. BONETUS. Limitibus por- ro ordinis naturæ excedit caput insuetæ cuidam parti adhærens, sic Athenis præfecto Thrasyllo puer, caput habens e sinistro enatum humero, natus fertur.

Alio tempore caput unius alteriusque partis cul- pa redditur monstrosum. Accidit quippe interdum, ut pars quædam plane ab ortu deficiat, ut oculus in Mo- noculis, qui in Africa vivere creduntur, aut ambo ocu- li, quale exemplum allegat THOM. BARTHOLIN (bb). Jam vero partes solennem naturæ numerum excedunt,

C

ad

(v) *l. c.* §. III.

(w) *Histor. Anatom. Cent. VI. Histor. XLIX.*

(x) *Specul. Natur. Lib. XXXI. C. XXVI.*

(z) *de Monstris Lib. II. Cap. LXXXIX. p. m. 256. & Cap. LVIII. p. m. 181.*

(aa) *Histor. Anat. Centur. II. Histor. XLIV.*

(bb) *Histor. Anatomic. Centur. III. Histor. XLVII.*

ad quam classẽ spectat, quod CONSTANTII Imperatoris temporibus natum legitur, monstrum uno capite, ore tamen gemino, & quatuor oculis a FORT. LICETO (cc) delineatum. Nonnunquam situs naturalis partis mutatio reddit caput monstruosum. Sic in propugnaculo quodam non procul ab Ardenburgo, dicto de Eldershans A. MDLVII lucem aspiciebat fœtus, cui sub mento os, & loco nasi hasta virilis fuit. Neque quenquam facile latere arbitror, interdum partium capitis conformationem naturalem ita immutari, ut, jam rei animatæ vel inanimatæ faciem induentes, non minus caput monstruosum efficiant. In Italia, ut refert AMBR. PARÆUS (dd), mulier quædam fœtum enixa est ore leonino, & alia alium ranæ præditum facie. Huc pertinet quoque molitoris cujusdam filius auribus in tantum excretis, ut longitudinem asininarum æquare videantur, natus & memoriæ proditus a D. C. F. PAULINI (ee).

## XI.

*Varia cum ex-  
crescentiis in  
capite nato-  
rum notantur  
exempla.*

Sed præterea datur adhuc alia partium monstruosa conformatio, qua capiti aliquid adnascitur, quæ quidem observatio, quantum scio, non adeo frequens est. Ex iis, quæ hunc in modum signata virorum Cl. industria literis mandata extant monstra, & quidem ex veterum  
mo-

(cc) *de Monstris Lib. II. Cap. X. p. 89.*

(dd) *Oper. Chirurg. Lib. XXIV. Cap. VII.*

(ee) *in EPHEM. NATUR. CURIOS. Decur. II. Ann. IV. Append. p. 209.*

monumentis omnium primo ob curiositatem, quam dubio omni procul in cujuslibet curiosi oculo haud difficulter excitabit, multo magis tamen ob similitudinem ipsi cum mea puella intercedente, cujus imaginem hic per pictorem expressi, capite monstroso hominem in scenam produco, qui, referente AMBROSIO



PARÆO (ff), apud Subalpinos in Quiero, decem a Thaurino milliaribus posito, oppidulo Anno Domini MDLXXVIII. d. 17. Jan. uterum Matris honestæ matronæ ad VIII. Horam Vesp. reliquit, & cornua quinque

C 2

sibi

sibi adversa arietinis similia capite gerens, a summa fronte ad occiput dorsumque fere totum prælongum carneum frustum protentum capitii muliebris instar habuit, unde factum docet, ut, dum simul magno cum clamore in lucem prodiit, ob horridiorem foetus aspectum dubiæ & terrore non exiguo percussæ obstetrices & reliquæ mulieres clinicæ e vestigio ab ædibus puerperæ se in fugam dederint. In eo tamen videtur abs mea puella discrepare, quod capitium ejus carneum intus haud fuerit cavum marsupii similitudine. Causam hujus Monstri, dum nullibi ejusdem fit mentio, invitius præterire cogor. In eadem serie monstrorum poni debet a PARÆO (gg), & RUEFFO (hh) descriptum, cornu in summo capite gerens. Stetini ortus est infans, habens in vertice massam carnis, autore F. LICETO (ii), & abortus in pago Bifferup, cujus horrendum aspectu erat occiput additamento carneo deforme intus cruore referto A. MDCLX. enatus notatur a TH. BARTHOLINO (kk). A vertice ad radicem narium, supercilia & tempora se extendentem massam carneam, & humiditatem copiosam semper stillantem observavit JOAN VAN RINCKENRAAT Chirurgus Ultrajectinensis (ll). Similia commemorant capiti adnata antea laudatus THOM. BARTHO-

LI-

(gg) *Ibid. Cap. I.*

(hh) *Lib. V. de Conceptu Cap. III.*

(ii) *de Monstris Lib. II. Cap. LXXIV. & App. p. 292.*

(kk) *Cent. IV. Histor. Anat. XC.*

(ll) *vid. Append. ad Licetum de Monstris p. m. 308.*

LINUS (mm), PHILIPPUS HOECHSTETTER (nn),  
 JOB. MECKERANUS (oo), JOACH. CHRISTIA-  
 NUS WESTPHAL. (pp) & THEOPHILUS BO-  
 NETUS (qq), quod ultimum ex iis quæ in recentio-  
 rum scriptis invenire potui, meæ observationi in præ-  
 cipuis quam accuratissime respondet, ita, ut non potu-  
 erim non dubius, cum idem relatum prima vice legis-  
 sem, non nihil hæere, annon historia nostræ puellæ a-  
 liis verbis expressa ibidem extaret, quam doctrinæ &  
 illustrationis causa hic apponam, id quod, ne grave fe-  
 ras amice Lector, rogitō:

Sutoris cujusdam uxor gemellos diversi sexus, “  
 foemellam mortuam, vivum puellum, peperit. Pu- “  
 ellus cætera nil monstrosi alens, & sanus, uti videba- “  
 tur, occipiti adnatum sacculum, figuram priapi s. fa- “  
 scini, veteribus *φάλλος* dicti, apposite referens gesta- “  
 bat. Cum igitur infans supinus cubare non posset, “  
 ut aperiretur suadet obstetrix. Accersitus chirur- “  
 gus noster Theophilus Voigt, ut & ipse simul vocarer “  
 parentibus autor fuit. Sacculum istum dum curio- “  
 se contemplerer, humorem in eo fluctuantem non so- “  
 lum deprehendebam, sed & ea cranii parte, quia ad su- “

C 3

ctum

(mm) *Actor. Med. Hæffn. vol. 1. obs. XXIV. Histor. Anat. Cent. I. Histor. VIII. & LV. Cent. VI. Histor. IX.*

(nn) *Obs. Med. Decad. VII. Cas. III.*

(oo) *obs. Chirurg. Cap. VII.*

(pp) *in dissert. de natura peccante Lips. hab. Probl. VII. §. 11.*

(qq) *Medicin. Septentr. Lib. I. Sect. II. Cap. V. §. IV.*



„ctum & vagitum erigebatur & extendebatur, qua ad-  
 „natus erat, foramen ad ipsum cerebrum pertingens  
 „subesse rebatur. Inde ut a sectione & apertione ab-  
 „stinerent, hortabar, ne gravia symptomata aut ipsam  
 „mortem tenello inducerent corpori, obsequuntur.  
 „Elapso triduo infans subito extinguitur, aperto sac-  
 „culo aquæ subflavæ uncias aliquot extraximus, in offe-  
 „vero occipitis prope lambdoideam foramen rotun-  
 „dum. Et prece & pretio ut a parentibus cranii aper-  
 „tionem obtineremus, casus nos stimulavit, sed surdis  
 „fabulam. Sequentia interim annotanda duxi: Peri-  
 „cranium duræ menynge suam debere originem, aper-  
 „te in isto foramine deprehendebamus. Nihil de ce-  
 „rebello apparebat, vacuo in quo latere solet, spatio.  
 „Ductus illos Oris, foramina duo, ad cerebelli sub-  
 „stantiam pertingere stylus patefecit. &c.

## XII.

*Puella cultro  
 anatomico  
 subjecta de-  
 claratur.*

Nihilo tamen fecius ab instituto me id detinere  
 haud potuit, qui postea, in quo discedat, deprehendi,  
 quod ex accuratiori a memetipso adornata cadaveris  
 inspectione clarius jam innotescet. 1) Intuitu forami-  
 nis hic aliquid notandum supra jam tum §. VI. indigi-  
 tatum, duplex a natura formatum in puella depicta  
 observavi, superius unum, alterum inferius, illud inter  
 os occipitis & ossa sincipitis, ubi sagittalis futuræ &  
 Lambdoideæ concursus, medium, hoc in infima facci  
 adnati superficie conspicuum. Utrumque digiti mi-  
 noris amplitudine. 2) Saccus ab uno ad alterum fora-  
 men

men per longitudinem dissectus nullum humorem visui sistebat. 3) Priusquam ad cavitatem cranii perveniebam, observabam circulum cartilagineum, foramen quod nominavi superius efformans. 4) Ad eam delatus cerebrum, cerebellum cum medulla oblongata illibatum conspiciebam. 5) Saccum ipsum extus componunt integumenta sic dicta communia, cuticula quippe & cutis sparsim pilis ornata aderat, nec non fibræ carneæ satis robustæ, ab uno foramine ad alterum ductæ & cum pericranio continuæ, hinc & inde vero pauca pinguedo interspersa. 6) Intus cincta est tota sacculi cavitas validâ membranâ facile ab integumentis separabili, coloris ex albo flavescens, quæ, *ὀψία* teste, cum dura cerebri matre continua, per foramen superius descendit, adeoque non aliter, ceu ipsius prolongatio, considerari meretur, cum simili gaudeat substantia, & structura. 7) Quoad figuram superiora versus sacculus tantam nactus est crassitiem, ut a quolibet latere cum pollice pugnare videatur, descendendo autem latefcit, & tenuior evadit, vix stylo, quo communiter in demonstratione utimur, duplo crassior. 8) Vasa sanguiflua, quæ hic non adeo magna copia conspiciebantur, erant non nisi arteriæ carotidis & venæ jugularis externæ propagines. 9) Nasum quod cernit, & hunc removebam, ut invenirem causam, quare, ut §. VI. monitum fuit, sit elevatus, & en! ossa nasi videbam duplicia, ast, quod curiosum, cum frontis ossibus profus continua.

## XIII.

*Monstri imprimis nostri causa*

Majoris res momenti jam erit expendenda, ubi nunc in causas monstri nostri inquirere, ordinis postulat ratio. Monstrorum causas explicare, omnium cujuscunque seculi Philosophorum & Medicorum consensu, difficultas judicatur solutu haud facilis, indeque forsan est, ut ipsis monstris subinde sint monstrosiores. Animus autem non est, cum ARISTOTELE, DEMOCRITO, GASSENDO, VERULAMIO aliisque antiquioris ævi Philosophis, ad ductum summarum quatuor causarum, materialis, puta, formalis, efficientis & finalis generationem hujus monstri explicare, præcipue cum divisio illa, ceu minus accurata, ab hodiernis Philosophis ægre applausum inveniat.

## XIV.

*Non est Deus,*

Neque vero est, cur, in declaranda capitis monstrositate, ad causas supranaturales recurramus. Equidem nullatenus in ea sum opinione, cum Dei omnipotentia & justitia pugnare, si aliquando ex imperscrutabili consilio per specialem quempiam concursum, cujus tamen modus intellectus nostri vim longissime superat, in utero gravido monstrum quodpiam producat. Quamvis enim benignissimus Creator pulchritudinis amans, ut in Sacro Codice nobis revelatum est, malit, quodvis, cui vim sese multiplicandi concessit, sibi consimile ut procreet, tamen sapientissimus universi moderator, propter gravissima parentum peccata, aliasve nobis

nobis ignotas causas, ad justam vindictam incitatus subinde naturæ ordinem invertit, & efficit, ut ex edito monstro nihil gaudii, multum vero tristitiæ infelices capiant parentes. Sed enim vero cum monstrofæ puellæ parentes criminis specialis fuerint haud rei, dubio procul deformitas puellæ meris causis naturalibus adscribenda venit.

## XV.

Et hæc quoque est ratio, cur nec dæmonem pro *Nec Satanas*  
 auctore monstri nostri agnoscam. Equidem uti cum illis non facio, qui, malorum angelorum existentiam in dubium vocantes, nihil plane potentiæ diabolo adscribunt, ita neque iis facile assentior, qui, eidem nimirum tribuentes, quævis mala, utut a meris physicis & naturalibus dependeant causis, hosti huic humano generi infensissimo attribuunt. Nam quod ad illos attinet, sane quemadmodum Sacra Pagina existentiam ejus nobis abunde revelavit, ita pariter ubivis obvia sunt loca, inextinguibile dæmonis in humanum genus odium, ejusdemque potentiam in corpora humana comprobantia. Quamvis enim libera homines male afficiendi non gaudeat potestate, permissu tamen divino accidit interdum, ut vaferrimus ille hostis, rerum physicarum peritissimus, nunc gravidis varia aspectu horrenda ob oculos ponat, nunc spiritus animales definite modificando, horrendas imaginationes in mente producat, nunc aliis modis nobis pene ignotis efficiat, monstrum in utero materno ut formetur. Ad quam opinionem fir-

mandam non parum faciunt, quæ omni hominum ætate in quavis regione a Theologis, Jurisperitis, Medicis atque Philosophis fide dignis observatæ, magna circumstantiarum convenientia consignatæ, & tot Magistratum confessionibus & decretis judicialibus stabilitæ passim leguntur historiæ. Propterea vero non omne monstrum, quod alii perperam faciunt, diaboli speciali concursui adscribere convenit. Sunt enim certæ naturæ leges, ab Omnipotenti Numine conditæ & stabilitæ, quas quidem interdum divino permisso dæmon, (nullatenus vero semper & pro lubitu) invertere potest. Et quamdiu phænomena ex viribus, quas rebus naturalibus Sapientissimus earum Auctor indidit, derivari queunt, ad causas supra naturales recurrere haud convenit, præcipue cum nullæ adsint extraordinariæ circumstantiæ, ut quoque in nostra observare est, quæ suspicionem de monstro supra naturaliter formato nobis suppeditent.

## XVI.

Quod itaque ad causas monstrorum physicas, seu mere naturales, attinet, de his nunc paulo specialius nobis agendum erit. Sunt, qui anilibus fabulis atque figmentis poëticis falli delectantur, qui que in superstitionem ac errores crassissimos delapsi partus monstruosos ex astris deducere nituntur, ut Ægyptii præsertim, & cum eis HERODOTUS, hac quidem formalitate, ut aliam SATURNO, aliam MARTI, aliam ARIETI, & alii sideri aliam monstrositatem efficiendi attribuant  
facul-

*Neque astro-  
rum influen-  
tia,*

facultatem (rr), quæ quidem omnia apud ipsos autores exquirenda curioso lectori relinquo. Attamen, si, quod res est, dicendum est, facilius hæc omnia leguntur, quam intelliguntur, dicuntur, non æque probantur, & quemadmodum omnis cognitio, quæ in mera consistit speculatione, inanis est, ita unusquisque inanem hanc opinionem facile deprehendet.

## XVII.

Porro ad causas monstrorum referunt haud pauci concubitus, si eum admittat menstruata, vel grvida, aut si eum exercent personæ deformibus aut mutilis membris jam tum deturpatæ, aut si vir foeminam brutam, vel masculum brutum foeminam ineat humanam. Ut ut vero prior sententia fortassis veterum errorem sapiat, existimantium, sanguinem menstruum formationi foetus impendi, eundemque venenatæ veluti esse qualitatis, tamen uti spurium illum concubitus non approbo, ita, monstrum ab illo recte deduci, nego. Neque vero facile existimaverim, concubitus cum grvida adeo frequentem monstrorum existere causam, cum dubio sine longe frequentiora forent monstra, secus ac observamus. Quod si vero accidat, ut grvida

*Neque concubitus cum*

*Menstruata,*

*Grvida,*

D 2

de

(rr) Eadem quoque ALBERTI MAGNI fuit opinio, in cuius tempore cum bubula semihominem peperisset, volentibus rusticis pastorem gregis interficere opportune adveniens ALBERTUS illum liberavit, dicens, quod certa cæli configuratio, & particularis quædam siderum conjunctio monstro causam præstiterit. vid. GASP. A REIES Elys. jucund. quest. Camp. quest. XLV.

*Persona de-  
formi,*

*Bruto ani-  
mali.*

de novo concipiat, tum ad mentem LICETI fieri potest, ut inde natus foetus deformem & monstrosam habitum induat, qualia monstrosæ superfœtationis exempla præmemoratus auctor recenset (ss). Et licet sæpius foetus, quoad singulas partes rite formatus, in lucem emittatur, tametsi pater, vel mater deforme mutilumque corpus habuerit, tamen neque rationi, neque experientiæ est adversum, similem labem tenello affricari interdum in matrice. Ordinarie vero monstra generantur, si homo, pudicitia omni, omnique humanitate insuper habita, contra leges Divinas & humanas rem habeat cum bestia, uti ejusmodi exemplorum dantur pro dolor! quamplurima. Atque rarissima est observatio, quam DELRIUS litterarum monumentis consignavit, & FORT. LICETUS (tt) ita refert: In Belgio, inquit, fuit nefarius quidam, qui vaccæ se commiscuit: post visa vacca prægnans, & post aliquot menses edere masculum foetum, non vitulum, sed puerum: adfuere non unus, deque matris vaccæ cadentem utero adspexerunt: levatumque de terra nutrici mulieri tradiderunt: adolevit puer, baptizatus & institutus Christianæ vitæ præceptis, pietatis se addixit, & pro Patre serio pœnitentiæ vacat operibus: homo quidem perfectus, sed qui sentiat in animo propensiones vaccinas, pascendi prata, & herbas ruminandi. Quale quid eodem loco notatur a RIOLANO de filio formoso, quem genuit pariter vacca, verum, ait, stupet illi animus, & belluinum quiddam

(ss) *de monstris Lib. II. Cap. XIV.*

(tt) *l. c. Cap. LXVIII.*

dam redolet. Sed non est, cur causis hisce perscrutandis inhæreamus, cum nulla ex iis quicquam lucis nostræ historiæ dilucidandæ sceneretur.

## XVIII.

Neque prolixè ovuli materni, matricis, aut genituræ masculæ vitia, vel lapsum, aliasve injurias externe utero illatas commemorabo. Licet enim hæc omnia partum deformem reddere queant, tamen cum nulla horum in parentibus monstrosæ puellæ occurrant, lubenter accuratiori eorundem examine in præsentis supersedeo. Duo autem potissimum sunt, quæ paulo majorem attentionem merentur; siquidem ex historia data constat, inopinato simiæ in alius sceminæ humeros insipientis aspectu, terrorem non mediocrem gravidæ nostræ fuisse incussum, eodemque tempore eam caput manibus ruditer contrectasse, ad abigendam nempe simiam, quam vane suæ cervici insidentem credebat. Sane quantæ sint vires terroris, non minus quam imaginationis, ex supra allatis observationibus perspicue nisi fallor jamjam innotescit. Imo subinde vires imaginationis sunt tantæ, ut infans nunc totus, nunc quoad partem unam alteramque, ita transformetur, ut ad effigiem animalis bruti, hujusque partium propius accedat; cum autem ejuscemodi transformatio in monstrosæ puellæ capite haud animadvertatur, ubi saltem occipiti appensus sacculus, quem si apostema sanguineum nuncupare velis, a vero fortassis non adeo aberrabis, observatus fuit, facilius dubio procul mente concipi

*Neque vitia ovuli Materni, matricis &c.*

*Sed Matris terror & imaginatio.*



*itemque con-  
trectatio sui  
capitis,*

poterit, terrorem, & imaginationem gravidæ satis efficaciam obtinuisse monstrositatem quampiam simpliciorum in tenelli capite producendi. Præterea id quoque satis notum est atque perspectum, plerumque partes tenelli male adfici, quas gravida, in terrore constituta, contrectat, aut circa quas imaginatio ejus versatur, ut hinc quoque non immerito existimem, aliquid ad capitis monstrositatem contribuisse, dum terrore percussa ilico manus cervici applicavit.

## XIX.

*In modo earum operandi explicando haut inter se conveniunt eruditi,*

Hæc omnia quidem experientia, fidissima rerum omnium magistra, nos docet, sed, si rationem consulamus, qui fiat, ut caput gravidæ contrectatum ilico tenelli caput in consensum trahat, aut quomodo terror vel imaginatio matris certam quampiam monstrositatem in tenello producere valeat, ubique vere aqua hæret. Nonnulli arbitrantur, matris mentem vel spiritus ejus animales certis quibusdam ideis signatos ob amicabile, quod ipsis cum tenello intercedit, commercium, facile similes ideas cum mente & spiritibus embryonis communicare, quas deinceps ceu omnis monstrositatis auctrices considerare solent. Alii autumant, leges motuum divinitus constitutas, secundum quas foetus in utero materno formatur, vi imaginationis, terroris, aliusve animi pathematis immutari, efficique sic, ut monstrosus evadat foetus. Sane quam-

cun-

cunque quis amplectatur sententiam, eodem tempore animadvertet, quamlibet suis premi difficultatibus, iisdemque parum monstri generationem illustrari. Etenim ponamus, ideas a matre conceptas communicari cum embryone, utut communicatio illa, si verum velimus fateri, explicatu per ardua fit atque difficilis, tamen in quo natura idearum, num in intellectu, cognitione, similique spiritali actione nullis signis se prodente consistat, & quomodo illæ ideæ operentur, nondum apparet. Quamdiu autem indoles idearum, earundemque specialis operatio nobis est ignota, tamdiu quoque specialissimum modum definire haud possumus, quo virtute idearum illarum hoc vel illud monstrum formetur. Consimili difficultate motuum leges divinitus conditæ & stabilitæ laborant. Licet enim facile concedam, sine definito principio, quocunque demum nomine idem condecorare velis, neque foetum naturaliter, neque monstrosè formari posse: tamen æque obscuræ sunt motuum illæ leges, nulla arte imitabiles, quales eadem nempe sint, quæ ad corporis formationem naturalem vel monstrosam requiruntur. Ex effectu proinde i. e. monstro conjicimus, vi imaginationis maternæ principium vitale in formatione foetus aberrasse, legesque motuum naturales in eo graviter fuisse turbatas; at specialissimum modum, quo hæc omnia fiant, vix ac ne vix quidem definire

nire possumus. Res fortassis non ab simili modo se habet, ac quotidie in nobismet ipsis observamus, dum ad nutum mentis movetur brachium, aliave corporis pars; sane causam hujus motus efficientem nemo non animadvertit, & de motu ceu effectu nemo dubitat, modus tamen, quo hæc fiunt, perplexus manet atque obscurus. Eandem, si non majorem difficultatem, experimur, dum rationem reddere debemus, quomodo matris imaginatio, aliaque animi passio, vim suam in embryonem deformandum exercat.

## XX.

*Quoad nostræ  
puellæ saccum  
brevis de-  
scribitur.*

In capite vero puellæ monstruoso solutio continui luculenter animadverta est. Siquidem integumenta occipitis ab hoc separata, & insuete expansa cavitationem sanguine refertam, & sacci figuram præ se ferentem formarunt, qua insueta integumentorum expansione factum est, ut calvaria ossa simul dehiscerent, & dura mater, nihil resistentiæ inveniens, paulatim in saccum ipsum descenderit. Ex quibus omnibus colligere fas est, vi terroris vel imaginationis matris, motum sanguinis circa præmemoratas capitis partes graviter fuisse læsum, donec is penitus extravasatus tumorem illum sacciformem, reliquasque deformitates produxerit.

## XXI.

## XXI.

Hæ sunt leves conjecturæ illæ, quas de præsentis *Signa capitis*  
 monstri capitis formatione proferre lubuit. Jam *puella mon-*  
 ordinis jubet ratio, ut de signis diagnosticis quoque *strofi diagno-*  
 agam. Equidem causæ antecedentes, supra specia- *stica,*  
 lius paulo expositæ, ita sunt comparatæ, ut suspicio-  
 nem non levem de foetus deformatione movere alicui  
 potuissent, tamen cum plus simplici vice accidat, ut  
 gravida nunc consimili terrore adficiatur, nunc defi-  
 nita quadam imaginatione divexetur, nihilque mali  
 inde patiatur foetus, sane quamdiu hic in obscuris ute-  
 ri carceribus absconditus delitescit, tamdiu quoque  
 nihil certi de ejusdem monstrositate definiri potest,  
 quam primum vero is in lucem editus cujuslibet con-  
 spectui exhibetur, certe monstrosa ejus conformatio,  
 visu quæ percipi, manibusque palpari potest, nullis si-  
 gnis diagnosticis indigere videtur. Pauca quoque *Prognostica.*  
 sunt, quæ circa prognosin monenda veniunt, nam-  
 que prava capitis puellæ conformatio non nisi quævis  
 infausta, funestaque indicavit, uti quoque eventus sa-  
 tis superque docuit.

## XXII.

Forſan ſupervacaneum eſſe videtur, de meden- *Cura ejus*  
 di methodo quicquam impræſentiarum commemora- *præſervate-*  
 rare, cum puella vix luce adſpecta præmaturam ob- *ria,*  
 ierit mortem. Nihilo tamen ſecius, ne aliæ gravidæ in

E

idem

idem incidant malum, innocentesque embryones culpa sua deturpent, ipsis serio inculcandum est, ut omnes occasiones, quæ vel Deum ad justam vindictam incitare, vel dæmonem ad facinora varia perpetranda invitare, vel quæ terrori, imaginationi, similique animi pathemati occasionem præbere, vel quæ utero vim inferre possunt, quantum in earum potestate est relictum studiosissime vitent, nullique graviore animi pathemati justo diutius indulgeant, sed istud, quantocyus fieri potest, plane extinguant.

## XXIII.

*Curatoria.*

Cæterum anceps hæreo, num monstrositas puellæ arte emendari, vel puella in vivis conservari potuerit. Equidem anevryisma, quod spurium Practici vocant, quodque interdum monstrosæ magnitudinis tumorem excitat, subinde ex animi sententia curari, experientia locuples est testis; valde tamen dubito, an tumor integumentorum occipitis monstrosus propterea, quod ratione sanguinis extravasati, & in eodem collecti aliquid cognationis cum anevrysmate spurio habuerit, eandem medelam admiserit. Namque cum præter deformem tumorem ossa calvariæ separata, dura meninx ad saccum usque monstrosum protensa fuerit, atque fons stillicidii sanguinei definiri haud potuerit, sane omnia inefficacem quorumvis remediorum usum satis superque docent.

## XXIV.

## XXIV.

Ad optatos exitus dum provehor, nil mihi magis *Conclusio.*  
in votis est, quam ut homines mox a nativitate naturæ  
respondeant ordini, quo fiet, ut cur Parentibus liberi  
suum denegent honorem, causam inveniant nullam, &  
ipsi quoque latentur Parentes. De cætero, amice le-  
ctor, tantum mihi non tribuo, ut omnem suscepti la-  
boris mensuram me adimplevisse credam, ut potius in-  
genue mihi fatendum esse palam profitear, in nonnul-  
lis ne mihi quidem ipsi me satisfecisse, interim qui le-  
ves has pagellas Tuæ censuræ exposui, ne oculo beni-  
gno eas perlustrasse Te tædeat, qua decet animi mo-  
destia rogitō. Restant autem tria, quæ  
adjiciam verbula:

## SOLI DEO GLORIA.













